

Et pallio purpureo circumdederūt eum. Vides ut Marcus & Ioannes de purpura cōueniunt. Matthæus uero, uel Matthæi potius interpres, de cocco sentit. Quocirca uel interpres in uertendo Matthæo falsus est, quod mihi me affirmare ausim, si Ioannes uertit, ut putant: uel Matthæus ipse, coloris potius rationem habuisse uidetur quæ materia. Quādoquidem nemo rerum antiquarum peritus, inficiabitur illam purpureā fuisse, siue chlamys fuerit, siue trabea, siue toga picta, quæ erant antiqua patrum munera, mittebāturque regibus & amicis à P. R. appellatis, ut dicam in prætexta. Verū hac de re curiosus ad senatum Sorbonicū referat. Coccum igitur à Dioscoride *κόκκος βαρυνά* dictum, frutex est fullonius, cui adhærent grana, quibus fit color ille lanarum præcipuus, cuius copia summa in ea parte Hispaniæ, quæ Tudertania appellatur, ut est author Strabo in tertio. Sunt qui putant eo abundare Germaniā, esseque id, quod *cramosinum* uulgo dicimus. Etiam si Raphael Volaterranus multæ lectionis uir, existimet id esse quod anthillū & anthicellum apud Pliniū. Ego nihil temere hac de re affirmare ausim, tantum dico à cocco dici coccina uestimēta ea quæ cocco infecta sunt. Martialis in secundo,

Coccina famosæ donas & ianthona mœchæ.

Iuuenalis: Quem coccina læna

Vitari iubet, & comitum longissimus ordo.

Vnde coccinatus. Martialis in primo,

Qui coccinatos non putat uiros esse.

Illud uero hac in parte nō omittendū uidetur, quod scripsit Plutarchus in Fabio, signū scilicet prælii futuri Romæ imperatoribus fuisse tunicā coccinā, extensam supra prætorium. *ἡμαρτὴν ἡμέρᾳ τὸ τὸ μάχης συμμοῦν ἐξέβηκεν. ὅτι δὲ χιτῶν κόκκινον ἵππερ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατείνοντο*. hoc est,

γ

Prima